

**Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Rudolphus Redeker/ I.U.D. ... Ad
exequias quas ... Viro-luveni Dn. Petro Biermann/ Phil. & S.S. Theol. Studioso
industrio, Parentes eius moestissimi Hodie in aede Petrina paratas cupiunt,
Omnes Academiae Cives amanter invitat**

Rostochi[i]: Kilius, 1667

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746814046>


Druck Freier  Zugang





Redeker, H. R.,
in P. Biermann.

R. 1667.

27







LXX
1/3

RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
HEINRICUS RU-
DOLPHUS *Redeker*/

J. U. D. P. P. Sereniss. Ducis Mechl. Consil.
Consistorii Ducalis Assessor, & Facult. Jur.
DECANUS,

Ad exequias
quas

Pereximio & Præstantissimo Viro-Juveni

DN. PETRO
Biermann/

Phil. & S.S. Theol. Studioso industrio,
Parentes ejus mœstissimi

Hodie in æde Petrinâ paratas cupiunt,

Omnes Academiae Civis aman-
ter invitat.



ROSTOCKI,
Typis JOHANNIS KILII, Ac. Typogr. cl. 16c LXVII.



Salutem!

*stantia
mana:*



Nihil esse ab omni parte constans & beatum, tritum non tantum videtur proverbium, sed & ex rerum indubitatis argumentis indies cognoscitur, illique qui rerum humanarum fluxum & erroneum statum, naturamve penitus contemplantur, uno puncto verum esse fatentur. *Æternâ lege omnibus rebus creatis à principio dictum est, nasci, denasci, oriri, occidere.* Universa quæ in terrarum orbe miramur, vel duntaxat contemplantur, orbis instarvolvuntur, vicibusque suis tandiu mutantur, donec pereant. Quæ hodiè firma & solida intruemur, in crastinum, si illi, cui nunquam Senectus, atra nec mors imminet, ita visum fuerit, vix superstant. Idque præprimis in ipsa conditione hominum, quorum causa naturæ arbiter omnes alias res magnificè extruxit, cottidianæ exemplâ comprobant. Adeoque quos heri vegetos & sanos vidimus, illis hodiè ultimum sapius decerni honorem, funusque adornari videmus. *De Præstantissimo & doctissimo juvene Dno PETRO BIERMANNO, Rostochiensi, Theol. & Phil. Studio eximio,* longè alia nobis vulganda in præsentiarum sunt, quam augurabamur omnes & ipse sibi paulo ante, quamvis mortis, quæ etiam robustissimo semper imminet, nunquam fuerit inamemor, ausus est promittere. Nam pro omnibus animi

animi ac corporis bonis, quibus probè instructus erat, & quæ ipsi longiores annos pollicebantur, quos etiam virtus ejus & indoles merebatur optima, ac pro omnibus faustis gratulationibus quæ videbantur ei, *tum* propter animi, *tum* propter corporis vigorem, deberi, feralem naniam & justa exequiarum sibi hoc programmata scribi postulat. Expertus siquidem est in flore ætatis & primo virili robore, vitam humanam in se nihil tuti habere, sed semper eripi posse. Nec gravium demum annorum est mors, verum ipsam etiam robustam ætatem è medio tollit, adeoque in quemcunque annum, imò in quodcunque cadit momentum temporis, quia in quamlibet ætatem multa supervenire queunt, quæ non infantiam tantum, aut senectutem, sed ipsam etiam robustissimam juventam incidere & è medio tollere possunt. Si proinde quærat homo in quo tuto possit confidere? Non in futuris, quia illa nihil certi promittunt, sed in præteritis, hæc enim, quia obtenta sunt, eripi amplius non possunt, illa autem nihil omninò firmi tenent, pendent enim in ambiguo, & incertam præsentium spem faciunt. Bene compositæ mentis est, ex præteritorum memoriâ ita de præsentibus disponere, ut futuris casibus lex ponatur. Imo prudens per omnes vitæ partes discurret, & secum subinde curatissimè perpendit, quid factum sit, quid in præsens faciendum, & quæ futurorum dispositio. Hæc omnia maturè secum piè defunctus præmeditatus est, adeoque, cum decretoriam instare horam sentiret, se eo magis promptum reddidit mortalitatem exuendi. *Natus autem est hic Rostochii 15. Aug. Anno 1639. Patre, Viro Spectata industria Dno Carsten Biermann / Cive inter nostrates optimi nominis, Qui qualem luctum & mœrorem ex hoc inopinato filii, ad obsequiû, & Senectutis suæ decus præsidium ve nati & educati, obitu, acceperit, illi omnium optimè discernent, qui noverunt quam altas radices liberorû amor, præprimis si se ad rectû componant, in corde Parentum agat. Ulti enim*

)(2)(

libero

liberorum præ creatio, & ingenua illorum educatio, parentes in
effabili gaudio afficit, ita acerbissimè affliguntur iidem, quando
illis, præprimis cum ad adultiorem ætatem processerunt, acerbo
funere orbantur. Causa proindè subest cur dolorem contestemur
superstiti piè defuncti Patri, cujus concepta spes, non e-
quidem in herbâ, quod æquiori ferre posset animo, sed in ma-
turiore flore concidit. Inverso siquidem mortalitatis ordine
illi ultimum decernere cogitur honorem, in quo omnem in-
gruescentis suæ senectutis spem repositam esse sibi firmiter per-
suadebat. *Mater autem piè defuncti fuit fœmina ob honestatem
morum valdè laudata* **Isabe Petersen** / quæ cum, divino nu-
mine sic jubente, antelustrum naturæ debitum solverit, &
mortalitatem cum immortalitate commutaverit, jam in æter-
num cum filio suo charissimo, qui propter ejus mortem supra
modum perturbatus fuit, suavissimè vivit, & indissolubili, nul-
lisque calamitatibus obnoxio, fruitur consortio. *Avus ejus
paternus fuit Vir spectata probitatis* **MATTHIAS BIERMANN,**
*Civis & Pannifex apud Parchimenses industrius, qui uxorem habu-
it fœminam piam* **CATHARINAM Rordes.** *Avum maternum
laudat Virum Industrium & solertem* **PETRUM Petersen** / *Civem,
Rostochiensem bonum & rei nautica peritum,* qui in felici quâdam
navigatione, attamen in munere suo occupatus, ex hac vitâ dis-
cessit. *Aviam maternam autem habuit* **CATHARINAM Hey-
renreichs** / *fœminam sua similiter laude dignam.* His majoribus
piè defunctus vitam & quod vitâ iptâ pretiosius æstimandum
est, honestam & ingenuam debuit educationem. Cum enim
in hanc lucem expositus esset, id curæ habuère optimi ejus pa-
rentes, uti, per sacrum bap̄tisma regeneratus, in album Ecclesiæ
Christi reciperetur. Deinde ut cum lacte matris igniculos etiam
pietatis imbiberet, curarunt sedulo, adeoque in sinu matris
quantum per infantiam licuit, ad pietatem & cultum Deo de-
bitum formatus est. Postquam autem annos infantia de-
posit

fuit, boni parentes eum studio literario manciparunt, & cum
eam ingenii indolem in illo deprehenderent, ut omnibus ludi-
cris posthabitis solo literarum amore eum inardescere senti-
rent, omnem usque moverunt lapidem, ut laudabiles ipsius
conatus in patriæ olim commodum & reipublicæ literariæ e-
molumentum omni studio proveherent. Adeoque eundem
fidelissimæ curæ DN. MICHAELIS COBABI, *SS. Theologia D.*
Et tum temporis Scholæ hujus Senatoria Rectoris meritissimi, nunc
autem P. P. in hac nostrâ Varniacâ, Excellentiss., commiserunt,
ut, postquam politioris literaturæ prima Rudimenta in infe-
rioribus classibus deposuisset, animum suum in humanitatis
studiis sub illo excoleret, ubi præ reliquis tam sedulum se
præstitit, ut nulli non charus, parentibus verò suis maxi-
mam futuri solatii & emolumenti spem præbuerit. Non ete-
nim, veluti plures alios tempus inutilibus nugis terentes,
vel voluptatibus deditos cernere licet, vel quicquam tempo-
ris inutiliter præterlabi, permittebat, sed in id unicè contem-
debat, ut conceptam de se parentum spem magis magisque
corroboraret, nec ullos labores eâ dere subterfugit: bene enim
noverat, quod trito proverbio decantari solet, Deos omnia
vendere laboribus; ad quod Hesiodus:

Ante virtutem Dii posuerunt sudorem.

Neque jam dum parentes optimi quicquam frustra speravisse
videbantur, quandoquidem fideliter perspectis primæ nec
non politioris literaturæ & humanitatis studiis, è Scholâ hacce
patriâ, magno tum eruditionis, tum morum propectu instructo,
Stralæ fundiam sese contulit, inibiq; studia sua impigerrimè pro-
secutus & hospitem eo loco nactus est, ad eadem maxime pro-
pensum *Pl. Rev. Dn. M. LUCAM Piel / Ecclesiastam ad D. Jacobi,*
cujus in hospitio cum per biennium commoratus esset,
Lubecam inde se recepit, & ibidem sub *Clariss. Dn. M. SEBA-*
STIANO Weyern / p. m. ejus Scholæ Rectora gravissimo, itidem
biennio


biennio studiis suis invigilavit, donec maturo jam satis animo & literaria suppellectile abundè instructus, Regias etiam Scholas invisere constituisset. Unanimes ideoque parentum consensu & deliberato consilio Regiomontanam ad Academiam profectus est, ibique etiam biennio & disputando & auscultando, tam publicis quam privatis in prælectionibus maxime solertem sese exhibuit, nec non Philosophiæ juxta & Theologiæ sacraria sedulo perscrutatus est. Exacto ibidem biennio Anno 1660. parentum ad placitum, in patriam hancce suam reversus est, & feliciter incepto Sacrosanctæ Theologiæ studio, summâ cum diligentia invigilavit, parentes suos summâ cum pietate honoravit, & dona Spiritus Sancti ad concionandum divinitus ipsi concessa, cum bene placitis Auditorum, sapissime propalavit. Hac singulari, piè defuncti virtute & animi dotibus bene perspectis, sesquianno ante proximè abhinc elapso, *Nobilissimus & maxime strenuus Dn. ULRICUS von Raben/Hereditarius in Raderand* / prædictum nostrum piè defunctum ad liberorum suorum Ephoratam abhinc evocavit, eumque singulari humanitate non modo viventem adhuc profectus, sed & immaturum hocce ejusdem fatum acerbè doluit & miseratus est: Præteriti autem Martii mensis 27. die, corporis quadam infirmitate correptus, parentes tamen hoc in loco invisere constituerat, quâ perspectâ infirmitate, cum pater ejus ægrè eundem à se dimittere vellet, ipse vero morbum illum cito sese derelicturum putabat & cum *Viri Ampl. & Exper. Dn. PAULI JOACHIMI STOCKMANNI Med.D. Celeberr.* consiliū curamque explorasset, sese abhinc iterum foras in prædium Dni sui Hospitis recepit; Verum vix eo loci appellens, statim vehementissimâ quadam *πνεύματι* correptus, adeo eadem afflictus & debilitatus fuit, ut quin patri id ipsum insinuaret, non potuerit prætermittere, quo cognito, fratres ipsius continuo eundem inviserunt, cumque morbi vehementiam deprehendissent,


dissent, omnem operam impenderunt quidem, ut pristina san-
nitati restitueretur, omnibus ad consequendam eam mediis
adhibitis; Verum eventu testante, adhibita remedia effectu
suo frustrata sunt. Invalescente itaque & jam magis magisque
prorumpente morbo, sacratissimis semper meditationibus de-
tentus fuit, & precibus ardentissimis una cum astantibus sedu-
lo & summâ cum attentione vacavit, interque alias precatio-
nes devotissimas Ecclesiasticam illam, **Herr Jesu Christ war
Mensch und Gott**/ardentissime precatus, & cum ad ejus pre-
cationis huncce versiculum, **wenn mir vergeht all mein Ges-
icht**, &c. pervenisset, clara voce distincteque ea verba effatus
est, addiditque. *Hæc verba Symboli loco perpetuo observavi, Me-
mento mei Domine Jesu secundum misericordiam tuam; cum Jesu
semper ero, eique oppignorabo & animam & corpus meum, Ecce
meum chirographum!* **PETRUS BIERMANN**. Prædicta hæc verba
etiam inter plura pie defuncti scripta librosque post fata ejus
reperta sunt. Ubivero vitæ suæ finem & terminum instare
persensit, summo cum desiderio sacratissimum illud animæ
suæ pabulum expetiit, cui piissimo desiderio ut satisfacerent,
qui curam ejus habebant, accersi ad eum curarunt *Reveren-
dum & Clarissimum* **Dn. CHRISTIANUM Godichen / Ecclesi-
astam Sadowiensem**, quo veniente, peccata sua & agnovit, &
confessa cum lacrymis deprecatus est, posteaque sacrâ Synaxi
animam suam payit, eaque tanto pabulo sedatâ & recreatâ, sic
iterum elocutus est: *Nunc Deo sit gratia, iterum optime con-
tenius sum, totumque me divina voluntati committo, faciat,
quod ipsi placuerit, ipsi moriar, ipsi etiam vivam.* Eo modo
adversus mortis terriculamenta abunde instructus, præterit
2. Apr. horâ secundâ pomeridiana in prædicto prædio zu **Rode-
randt** / piè placideque obdormivit **Anno ætatis 27. 4. mens.**
Ita prohi dolor! bonum virtutum exemplar, parentum
gaudium, spes & delicia maxima, in herba occubuit, occidit,
at


at certè non sine acerbissimo suorum desiderio. Dolent ejus obitum parentes, dolent fratres, dolent amici, nec immerito quidem dolent tanto orbati præsidio. Verum tamen mentem eosdem recolligere & componere addecet, modo cogitent & perpendant, Divini Numinis arbitrio & beneplacito, quicquid cum piè defuncto factum est, evenisse. Certè summus ille rerum arbiter inperscrutabiles consilii sui rationes habet, quas quoniam immutare nefas, tolerare profectò æquo & forti animo, necesse est. *Volentem enim*, ut Seneca ait, *fata trahunt, volentem ducunt.* Reliquit ille mundana, & receptus est inter caelestes, enavigavit, & prætervectus est insidiosi mundi, Diaboli, & carnis suæ scopulos, provectus jam in æternum tranquillitatis portum, longo spatio caduca omnia post se relinquens, sempiterno gaudio inter beatos fruitur extra mundi miseras. Uti proindè bonum ducem militum decet, non viventes duntaxat & adhuc militantes, sed & mortuos, ut alii magis strenui reddantur, honore afficere. Ita nostri quoque est officii, civi & commilitoni nostro magnæ dum viveret spei, ultimum etiam persolvere debitum. Cum itaque corpus ejus exanime hodie hora primâ pom.: tumulo in templo Petrino parato, decenter & more Christiano componi debeat, & humari, donec vivorum & mortuorum judex eum resuscitaverit. Ideo Vos, optimos Cives, vosque literarum & literatorum fautores benevolos, amanter invito, ut funus hoc honorificâ vestrâ præsentia, frequentique confluxu condecorare non gravemini. Conventus fiet in æde D. Petro sacra, ad horam primam.


P.P. Sub Sigillo nostri Rectoratus, Rostochii 12. Apr. A. D. 1667.











dissent, omnem operam impenderunt
nitati restitueretur, omnibus ad con
adhibitis; Verum eventu testante, a
suo frustrata sunt. Invalescente itaque
prorumpente morbo, sacratissimis sen
tentus fuit, & precibus ardentissimis u
lo & summa cum attentione vacavit,
nes devotissimas Ecclesiasticam illam,
Mensch und Gott/ardentissime prec
cationis huncce versiculum, **wenn mi
sicht, &c.** pervenisset, clara voce disti
est, addiditque. *Hec verba Symboli locu
mento mei Domine Jesu secundum miser
semper ero, eique oppignorabo & animam
meum chiographum.* **PETRUS BIERMA**
etiam inter plura pie defuncti scripta
reperta sunt. Ubi vero vitæ suæ finem
persensit, summo cum desiderio sacra
suæ pabulum experit, cui piissimo de
qui curam ejus habebant, accersi ad
dum & Clarissimum Dn. CHRISTIAN
astam Sadoriensem, quo veniente, pec
confessa cum lacrymis deprecatus est,
animam suam payit, eaque tanto pabul
iterum elocutus est: *Nunc Deo sit gr*
tentus sum, totumque me divina volu
quod ipsi placuerit, ipsi moriar, ipsi
adversus mortis terculamenta abund
2. Apr. horâ secundâ pomeridiana in pr
rand / pie placideque obdormivit. An
Ita prohi dolor! bonum virtutum
gaudium, spes & delicia maxima, in he

t pristina sa
cam mediis
edia effectu
magisque
tionibus de
ntibus sedu
as precatio
Christ war
adejus pre
mein Ge
erba effatus
servavi, Me
m; cum Jesu
eum, Ecce
a hæc verba
ost fata ejus
um instare
lud animæ
tisfacerent,
nt Reveren
en / Ecclesi
agnovit, &
acrâ Synaxi
ecreatâ, sic
optime con
tto, faciat,
. Eo modo
, praterito
io zu Nade
7. 4. mens.
parentum,
it, occidit,
at

